

Utrum nullus
sit actus
voluntatis, qui
sit mera fuga.

Primo itaque duo sunt latissima genera actuum voluntatis, prosecutionis et aversionis, eorum nempe quæ circa bonum, et eorum quæ circa malum versantur. De quibus est quedam opinio varietas inter auctores relate ad modum, quo invicem comparantur amor vel prosecutio boni et fuga vel aversio mali. In primis disputatur, utrum nullus sit actus voluntatis, qui sit mera fuga. Cajetanus duplex distinguit odium: alterum abominationis, quod dicit esse fugam a re apprehensa ut appetenti noxia vel incommoda; alterum inimicitiae, quo nempe volumus malum inimico. Et primum quidem concedit consistere in mera fuga, alterum vero vult situm esse in prosecutione, qua quis vult alteri malum; nam sicut bonum velle est amare, ita malum velle est odire (1). Aliis placet nullum esse actum etiam odii, qui non sit prosecutionis; nam sicut omnis actus potentiae cognoscentis est cognitio, ita omnis actus potentiae appetitivæ est appetitio. Et ratio est, quia odio habere est appetitum disjungi ab aliqua re. Atqui hoc perinde est, ac appetere disjunctionem talis rei, sicut qui odit dolorem capitis, vult per illum actum carentiam illius doloris, quam carentiam amat, licet explicetur a nobis per nolitionem doloris. Resque declaratur exemplo intellectus, in quo non datur actus, qui non sit cognitionis, atque adeo ipsam est dissensus, qui licet explicetur per modum fugæ, re tamen vera est assensus et affirmatio, quia dicere Petrum non currere perinde est, atque affirmare, quod falsum est Petrum currere. Ita opinantur nonnulli, apud PP. Suarez (2) et Salas (3), qui ex parte opinionem hanc probant. Nam P. Suarez docet odium quidem non consistere formaliter in desiderio fugiendi malum, aut in amore carentiæ mali vel in desiderio, quo velimus alteri malum, sed per talem affectum explicari, formaliter vero consistere in affectu, quo quis disjungitur a re, quam odio habet, quod significavit S. Thomas (4), dicens amorem in consonantia quadam, odium in dissonantia

(1) Vide Cajetan., in 1.^{am} 2.^æ quest. 29, art. 1.

(2) Suarez, in 1.^{am} 2.^æ tom. 4, tract. de passion. disp. 1, sect. 7, num. 2.

(3) In 1.^{am} 2.^æ tract. 9, disp. 3, sect. 2.

(4) S. Thom. 1. 2. quest. 29, art. 1.

consistere. Pater vero Salas existimat quidem odium posse esse appetitum quemdam et prosecutionem, non tamen in illis actibus, qui respiciunt bonum vel malum præsens, tristitia enim nullius rei est lætitia vel delectatio. Alii denique malum rem aliter definiri dicentes posse dari in voluntate actus mere fugæ, per quos nihil formaliter ametur (1). Quinam porro sint isti actus, determinant Lossada et alii, distinguendo odium mali pure privativi, et positivi. Malum pure privativum consistit in privatione boni, cujusmodi est v. g. mors vel tenebræ; et odium istius mali ajunt esse formaliter amorem formæ oppositæ, vel certe supponere, aut includere illum, quia cum malum istud non habeat causam odii, nisi præcise quia privat opposito bono, non est, cur odio habeatur, nisi quatenus bonum illud diligitur. Malum positivum est aliquid non contradictorie, sed contrarie oppositum bono, quale est v. g. adulterium, furtum, dolor capitis, etc.; doctique odium ejusmodi mali necesse non esse, ut formaliter sit amor boni oppositi, vel illud includat, quia potest istud malum, etiam præcise facta a tali bono, meritum odii habere. Addunt multi odium etiam consistat in mera fuga formaliter, indirecte tamen attingere aliquam rationem boni, et sic esse indirectum amorem vel prosecutionem illius; immo vero etiam tum, cum actus odii non attingit, vel respicit ullam rationem boni, semper esse virtualiter et æquivalenter actum amoris et prosecutionis, prout docet Lugo.

63. Primo itaque dicendum videtur odium, sive includat, sive non includat virtualiter volitionem aut amorem carentiæ mali, formaliter tamen non consistere in ea volitione. Et probatur ex diverso modo tendendi utriusque actus; nam, docente S. Thoma (2), amor importat consonantiam

Odium, sive
includat,
sive non
includat virtualiter
volitionem
carentiæ
mali.

(1) Ita cardin. Lugo (de Penit. disp. 1, sect. 2, num. 10, seqq.), Arriaga (Disputation. theologiar., tom. 3, tract. de passion., disp. 29, sect. 2, subsect. 1; et de anim. disp. 7, sect. 1, subsect. 1), Quiros (Curs. philos. disp. 87, sect. 2, num. 4), Rhodes (Philos. peripat., lib. 2, disp. 18, quest. 3, sect. 2, paragr. 2, Elico 2.), Franciscus Alphons. Malspartidens. (de anim., disp. 17, sect. 2, num. 30, seqq.), Lossada (de anim. disp. 7, cap. 3, num. 60).

(2) Vide S. Thom. 1. 2. quest. 29, art. 1 et 2.

formaliter
non consistit in
ejusmodi
volitione.

quamdam appetitus ad id, quod apprehenditur ut conveniens; odium vero dissonantiam ad id, quod apprehenditur ut repugnans et nocivum. Ergo sive actus odii includat, sive non, volitionem carentiæ mali, non est formaliter odium propter talem volitionem, sed propter displicentiam talis mali et fugam vel recessum ab eo. Præterea experientia ipsa, quam, nisi obstat ratio aliqua magni ponderis, deserere non debemus, idem demonstrat. Experimur enim diverso modo se habere voluntatem nostram, quando odimus, et quando amamus; nam amor est suavis et dulcis, odium e contrario asperum ac rigidum. Actus ergo ille, quo odio habemus, non est formaliter amor (1). Nec valet prima ratio contrariæ sententiæ secundo loco relatæ; nam necesse non est omnem actum appetitivæ potentiæ esse formaliter appetitionem; nam potentia illa nomen sortita est tantum a præcipuo ac primario genere actutum, quod circa bonum versatur. Ad alteram rationem respondetur *negando*, quod odisse rem aliquam formaliter sit velle disjunctionem ab illa re, sed positiva displicentia de malitia illius; quidquid sit, utrum qui odit aliquid, implicite appetat etiam disjunctionem ab eo. Denique paritas cum intellectu potius contrarium probat; jam enim alibi notavimus iudicium negativum et affirmativum ipsa tendentia formaliter discrepare inter se; ac proinde iudicium negativum, licet æquivalere possit affirmationi quoad rem ipsam, formaliter tamen non esse affirmationem seu prosecutionem intellectualem, sed dissensum et fugam ab objecto. Quare iudicia hæc: *Tenebræ sunt*, vel; *Est carentia lucis*, et: *Non est lux*, idem profecto enuntiant a parte rei, sed tendentia diversificantur, quia primum affirmativum est, alterum vero formaliter nihil affirmat, sed tantum negat (2). Idem ergo dicendum de voluntate.

Unum actus
odii saltem
indirecte et in
obliquo attingat

64. Jam si quæras, utrum actus odii, quamvis formaliter sit fuga, tamen aliquo modo, saltem indirecte et in obliquo, attingat aliquam rationem boni, vel respiciat illam

(1) Plura vide apud Cardin. Lugo, loc. cit., num. 11, 12.

(2) Vide *Psycholog.* num. 281, pag. 938. Cfr. Arriaga (*Disput. theolog.* tom. 3, loc. cit. num. 24), Rhodes (loc. cit. in respons. ad *Confirmation.*)

aliquam
rationem boni.

saltem extrinsece ac præsuppositive, quapropter odium vel sit indirecte amor aut prosecutio alicujus boni, vel certe supponat semper amorem boni, vel ex eo oriatur; multi affirmant, quibus consentit cardinalis de Lugo, cum aliqua exceptione, quia quamvis regulariter et fere semper odium sit indirecte amor oppositi boni, vel ab amore nascatur, existimat tamen posse dari aliquando odium absque ulla admixtione amoris vel prosecutionis formalis, quodque nec nascatur ex amore (1). Probatur generatim doctrina illa, quia odium vel est mali pure privativi, vel positivi. Et primum videtur non posse non esse indirecte saltem amor oppositi boni, sicut malum ipsum ejusmodi non potest non in obliquo bonum, in cuius privatione consistit, importare. Atque idem dic etiam de malo positivo, et potissimum si illud formaliter qua tale in privatione consistat (2); quia malum etiam positivum aut respicit aliquo modo formam, qua privat, aut certe importat nocumentum personæ appetentis aut alterius, quæ amatur. Ergo eatenus videtur movere ad odium sui, quatenus vel amatur oppositum bonum, vel certe persona, cui malum affert nocumentum; et sic odium generatim videtur semper involvere amorem et prosecutionem aliquam boni. Quam ad rem laudari posset sententia illa Dionysii, *malum non agere nisi in virtute boni* (3). Quod vero odium nascatur ex amore, sic probat Angelicus: *Amor consistit in quadam convenientia amantis ad amatum; odium vero consistit in quadam repugnantia vel dissonantia. Oportet autem in re qualibet prius considerare, quid ei conveniat, quam quid ei repugnet; per hoc enim aliquid est repugnans alteri, quia est corruptivum vel impeditivum ejus quod est conveniens. Unde necesse est, quod amor sit prior odio, et quod nihil odio habeatur, nisi per hoc quod contrariatur convenienti quod amatur. Et secundum hoc omne odium ex amore causatur* (4). Atque ita si attente perpendimus genesis odii, inveniemus generatim illud supponere aliquem amorem vel circa bonum oppositum malo,

(1) Vide Lugonem, loc. cit. num. 16, 17.

(2) Qua de re vide *Ontolog.* num. 102 seqq., pag. 468 seqq.

(3) S. Dionys., *de divinis nominibus*, cap. 4, part. 4.

(4) S. Thom. 1. 2. quæst. 29, art. 2.

quod odio habemus, vel circa personam aliquam, sive nostram sive aliam, cuius malum aversamur. Et sic minus efficax ad movendum videtur esse malum, utpote quod consortium requirit boni, quam bonum, hoc enim potest etiam solum movere.

Actus odii
virtualiter et
æquivalenter
est actus
amoris et prose-
cutionis.

65. Denique communissime dici solet actus odii esse virtualiter et æquivalenter actus amoris et prosecutionis. Quod quidem etiam admittit Lugo absque ulla exceptione vel pro illis paucis casibus, in quibus forte odium non oritur ex amore, probatque a posteriori et a priori. «A posteriori, quia experientia constat, eum, qui odio habet dolorem, et ejusmodi actus sæpius habuit, non habere difficultatem, sed facilitatem ad amandam carentiam doloris, et e contra; nec indigere nova facilitate ad alterum ex iis, sed ab exercitio unius reddi æque, facilem ad utrumque. Ergo unus ex iis actibus æquivalet alteri. A priori autem ratio est, quia inter extrema contradictorie opposita accessus ad unum est recessus ab altero, et e contra recessus ab uno est accessus ad alterum. Idem ergo erit recedere a luce per odium lucis, ac accedere ad negationem lucis seu tenebras: idem item erit accedere ad tenebras per amorem tenebrarum, ac recedere a luce, quam tenebræ negant. Ergo licet illi duo actus differant in modo tendendi ab objectum per modum accessus vel recessus, re tamen ipsa quoad effectum et affectum non videntur differre. Nam velle lucem est velle impedire tenebras, et nolle tenebras, est impedire carentiam lucis, ponendo lucem, quæ ex parte objecti sunt eadem, licet unus actus tendat prosequendo, alter fugiendo. Videatur Suarez (1), ubi cum communi supponit. actum detestationis peccati esse virtualiter et æquivalenter dilectionem Dei, quia ad eandem virtutem spectat amplecti bonum, et fugere malum illi oppositum» (2). Verum de his satis.

Actus diversi
concupiscibilis
et irascibilis
possunt esse
eiusdem in
voluntate.

(1) De Peccat. disp. 2, sect. 2, num. 1; disp. 4, sect. 2, num. 15.
(2) Lugo, de Peccat. disp. 1, sect. 2, num. 27.

amor et odium, desiderium et fuga, delectatio vel gaudium et tristitia, quæ spectant ad concupiscibilem, et spes ac desperatio, timor, audacia et ira, quæ propriæ sunt irascibilis. Nam sicut intellectus cognoscit omnia objecta sensuum, ita etiam voluntas potest habere totam varietatem affectuum, qui eliciuntur a sensitivo appetitu. Verum de his undecim actibus, quorum naturam et subdivisiones non est hujus loci declarare, notanda sunt duo, primum eos in voluntate non esse propriè dicendos passiones, quia ut jam suo loco diximus, passiones propriè loquendo, sunt actus organici ac materiales, utpote qui transmutationem corpoream important (1). Deinde varietas ista actuum non requirit in voluntate diversitatem virium irascibilis et concupiscibilis, sicut in appetitu sensitivo probabilis requirit. Cujus ratio est, docente S. Thoma, quia cum potentia non distinguantur secundum distinctionem materiale objectorum, sed solum secundum rationem formalem objecti; si alicui potentia respondeat aliquod objectum secundum rationem communem, non erit distinctio potentiarum secundum diversitatem propriorum objectorum, quæ sub illo communi continentur. Sicut si proprium objectum potentia visiva est color, secundum rationem coloris, non distinguuntur plures potentia visiva secundum differentias albi et nigri. Sed si proprium objectum alicujus potentia esset album, in quantum album, distingueretur potentia visiva albi a potentia visiva nigri. Manifestum est autem ex dictis (art. 1, huj. quæst. et quæst. XVI, art. 1), quod objectum appetitus intellectivi, qui voluntas dicitur, est bonum secundum communem boni rationem; nec potest esse alicujus appetitus nisi boni. Unde in parte intellectiva appetitus non dividitur secundum distinctionem aliquorum particularium bonorum, sicut dividitur appetitus sensitivus, qui non respicit bonum secundum communem rationem, sed quoddam particulare bonum (2).

quamvis in ea
non habent
rationem
passivis.

nec postulant
distinctionem
virtutis,
sicut in sensiti-
vo appetitu.

(1) Vide S. Thom. 1. 2. quæst. 22, art. 3; de verit. quæst. 25, art. 3.

(2) S. Thom. 1 p. quæst. 59, art. 4. Cfr. ibid. quæst. 82, art. 3; de verit. quæst. 25, art. 3.

§ I.—ACTUS VOLUNTATIS CIRCA FINEM.

Cum voluntas sit potentia rationalis, consequens intellectualem cognitionem, actus ejus versari potest et circa finem et circa media, secus atque appetitus sensitivus, qui sequitur sensitivam cognitionem; sensus enim cognoscere non possunt rationem finis ac medii nec mutuum eorumdem habitudinem et proportionem, ac proinde nec ordinare unum ad aliud. Et propterea sensitivus appetitus nequit intendere finem formaliter, quamvis possit materialiter, appetendo videlicet id, quod reapse est finis.

Actus voluntatis
circa finem
tres:
velle seu
voluntas, fruitio
et intentio.
Quid voluntas,

66. Circa finem tres actus in voluntate distingui solent cum S. Thoma, *velle, fruit et intendere*; seu voluntas sumpta pro actu (1), fruitio et intentio. Voluntatis actus significat actum quemdam simplicem, qui est «quasi prima inclinatio potentie rationalis in objectum propositum tanquam per se amabile, cujus primus effectus formalis non potest esse alius, quam velle illud objectum propter se sine ordine ad aliud.» Dicitur actus simplex, quia nullum alium supponit, et nec formaliter nec virtute alterum includit: ex quo patet hunc actum proprie versari circa finem, solus enim finis est bonum per se amabile, et principium omnis motus voluntatis est finis, hic autem est primus voluntatis motus (2). Quod si quæras, cur actus hic simplex voluntatis respiciens finem, proprium sibi fecerit nomen ipsius potentie, cujus actus etiam se amandi ad volenda media, haud inepte respondetur cum P. Gregorio de Valentia: Ille solus actus jure merito accipit nomen potentie, unde procedit, qui simplex est et absolute tendit in objectum: quapropter etiam sola cognitio principiorum vocari consuevit, usurpato nomine potentie, *intellectus* seu *intelligentia*. Atqui talis est solus actus ille voluntatis circa finem. Ergo solus ille proprie voluntas vocari potest; et sic actus voluntatis elicitus circa media minus proprie vocaretur voluntas (3). Porro voluntas actus videtur re non distingui ab

et cur
hic actus nomen
potentie
ipsius
sumpsit.

An voluntas
distinguat ab
amore.

(1) Vide S. Thom. 1. 2. quæst. 8 in præmio, et art. 1 corp. et ad 1.^{um}, et art. 2 corp.

(2) Suarez, In 1.^{am} 2.^æ tract. 2, de voluntario et involuntario, disp. 6, sect. 1, num. 1.

(3) Vide Valentia, In 1.^{am} 2.^æ, disp. 2, quæst. 3, punct. 2.

amore. Nam ratio amoris in eo est posita, quemadmodum inuimus agendo de passionibus, ut sit pondus quoddam vel tendentia in bonum absolute spectatum, præcissione facta ab eo, quod sit præsens vel absens; hæc autem est etiam ratio actus illius, qui dicitur *voluntas* (1).

67. Jam quod fruitionem attinet, frui dicimur cum rem aliquam assecuti, quam ut ultimum quiddam expetivimus, in ea cum amore delectamur, et conquiescimus. Descriptio hæc satis, opinor, patet ex communi omnium sensu; nomen vero fruitionis ex sensibilibus fructibus derivatum videtur, docente Aquinate: *Fructus autem sensibilis est id, quod ultimum ex arbore expectatur, et cum quadam suavitate percipitur. Unde fruitio pertinere videtur ad amorem vel delectationem, quam aliquis habet de ultimo expectato, quod est finis* (2). Ultimum porro hic intelligendum est vel ultimum simpliciter, vel etiam secundum quid seu in aliquo genere negotii vel actionis (3). In fruitione, si res bene perpenditur, tres ut minimum interveniunt actus re vel ratione distincti: amor nempe, possessio et gaudium. Amor in primis requiritur, sine quo nec gaudium vel delectatio esse potest, quam tamen omnes concipiunt necessariam ad fruitionem; at non sufficit, quia si quis amat, sed non possidet rem amatam, desiderare quidem poterit, sed non frui. Ergo secundo requiritur præterea possessio; sed neque sufficit possessio cum amore, nisi accedat etiam delectatio, nam qui sumit v. g. potionem amaram, quam appetebat, non fruitur. Hæc tamen tria videntur omnino ad fruitionem sufficere; nam qui hæc habeat, quocumque alio careat, frui dicitur (4). Porro ex tribus hisce actibus amor et delectatio sunt in voluntate, ut patet, possessio vero pertinet ad eam potentiam, quæ bonum amatum tenet, sive illa sit intellectus sive sensus (5). Quæstio autem est, in quo ex his tribus actibus, ad fruitionem concurrentibus, formaliter

Quid fruitio.

et quot
actus importet.

et in quomodo
formaliter
fruitio consistat.

(1) Suarez, loc. nup. cit., num. 5.

(2) S. Thom. 1. 2. quæst. 11, art. 1. Vide Bartholomæum Medina in Comment. in hunc locum S. Thomæ, ubi ex multis Scripturæ locis et ex auctoribus profanis erudite rationem fruitionis exponit.

(3) Vide Valentia, In 1.^{am} 2.^æ disp. 2, quæst. 6, punct. 1.

(4) Suarez, loc. cit. disp. 7, sect. 1, num. 4.

(5) Suarez, ibid. num. 5.

fruitio reponenda sit, ac proinde cuius potentiae sit actus fruitio. Sotus, de fruitione beatorum in caelo disserens, ait fruitionem esse potius assecutionem vel possessionem objecti beantis, quam delectationem de illo, atque adeo non esse actum elicutum voluntatis, sed intellectus (1). Cæteri vero auctores existimant fruitionem esse actum voluntatis, et Scotus quidem vult eum esse amorem (2), Alphonsus a Toledo (3) et Deza seu Hispalensis (4) aggregatum ex amore ac delectatione, alii communissime solum gaudium vel delectationem (5), quæ est vera et expressa S. Thomæ sententia.

Dicendum itaque 1.^o est fruitionem formaliter ac proprie non sitam esse in amore nec in nuda possessione, sed in gaudio vel delectatione. Non in amore, quia amor per se abstrahit a possessione, et ejusdem rationis est, sive adsit, sive non, delectatio. Unde S. Paulus scribens ad Philemonem, quem jam diligebat: Ita le fruar, inquit, in Domino (6), et S. Augustinus scripsit. Nemo beatus est, qui eo non fruatur, quod amat (7). Ergo amor potest esse absque fruitione. Non in possessione, nisi hæc sit quasi gaudio informata. Quia possessio etiam rei nisi annexam habeat delectationem, non solet ex communi existimatione vocari fruitio. Quare apud Ecclesiasten legitur: Perfruere vita cum uxore, quam diligis, etc. (8); et S. Augustinus, docet frui esse fructum capere (9). Et alibi:

(1) Sotus (4.^o dist. 49, quæst. 1, art. 4, conclus. 2, apud Valentia, loc. cit. art. 1, quæst. 6, punct. 1) et Suarez (loc. cit. num. 1, apud quos, et potissimum apud Medina (1. 2. quæst. 11) videri fundamenta hujus sententiæ queunt.

(2) Scotus 1.^o dist. 1.^o quæst. 3.

(3) Apud Vazquez, in commento articuli primi S. Thomæ 1. 2. quæst. 11.

(4) Apud Suarez, loc. cit. disp. 7, sect. 1. num. 3.

(5) Vide Capreolum (1.^o dist. 1, quæst. 1, concl. 3 et in respons. ad argum. contra illam), Conrad. (In 1.^{am} 2.^{am} quæst. 11, art. 1), Cajetanum (In 1.^{am} 2.^{am} quæst. 11, art. 1), Medina (ibid.), Ferrariens. (4.^a Cont. Gent. cap. 117), Vazquez (loc. nup. cit.), Suarez (loc. cit.), Valentia (loc. cit.), Salas (In 1.^{am} 2.^{am} tract. 6, disp. 1, sect. 8), etc.

(6) In epist. ad Philem., vers. 20.

(7) De civit. Dei, lib. 8, cap. 9.

(8) Eccles. cap. 9, vers. 9.

(9) S. August., in lib. Octoginta trium questionum, quæst. 30.

Fruitio est
in delectatione
formaliter,

Fruimur cognitivis, in quibus voluntas delectata conquiescit (1). Lege S. Thomam, qui perspicue mentem suam aperit (2). Unde gaudium ipsum vel delectatio quietans appetitum et consequens possessionem rei proprie ac per se est fruitio, licet interdum hoc nomen tribuatur possessioni, quæ causa est et principium gaudii. Hinc

Dicendum 2.^o est, fruitionem ad voluntatem pertinere. Nam formaliter est delectatio vel gaudium; hoc autem est in voluntate tamquam verus actus ejus, et non sola passio, prout docuisse Scotum superius vidimus (3). Idque docuit clarissime Aquinas (4). Sed plura de hac quæstione, quæ potius est de nomine, vide, si lubet, apud laudatos auctores.

Age vero circa objectum fruitionis doctrina S. Thomæ est, primo fruitionem non esse nisi de fine ultimo, cujusmodi est objectum beatificum; improprie vero et non secundum completam rationem fructus fruitionem esse etiam de fine non ultimo (5); quapropter S. Augustinus docuit, creatoris non esse fruendum, sed utendum, referendo scilicet illas ad Deum, fruendum autem esse solo Deo (6). Denique ipsam propriam fruitionem, scribit S. Thomas (7), bifariam haberi posse, perfecte et imperfecte; perfecte quidem solum haberi de fine ultimo re possesso, qualis est fruitio beatorum in caelo, imperfecte autem etiam de eodem fine solum intentionaliter possesso secundum illud Apostoli: Spe gaudentes (8).

ac proinde
pertinet
ad voluntatem,
non ad
intellectum.

(1) S. August., de Trinit., lib. 10, cap. 10 ante med. Cfr. de Doctrina christ. lib. 1, cap. 33.

(2) S. Thom. 1. 2. quæst. 11, art. 3 corp. et ad 1.^{um} et 2.^{um}

(3) Vide Suarez, loc. cit., num. 7 seqq.

(4) Vide S. Thom., 1. 2. quæst. 8 in proem.; et quæst. 11, art. 1, corp. et ad 3.^{um} et art. 2.

(5) Vide S. Thom., 1. 2. quæst. 11, art. 3. Idipsum multo ante docuerat S. Augustinus (de doctrina christiana, lib. 1, cap. 33): Si, inquit, per delectationem transieris, camque ad illud, ubi permanendum est, retuleris; uteris ea, et abusive, non proprie, diceris frui. Si vero inhæseris, atque permanseris, finem in ea ponens letitiae tuae, tunc vere et proprie frui dicendus es. Quod non faciendum est, nisi in ipsa Trinitate, id est, summo incommutabili bono.

(6) S. August., de doct. christ., loc. nup. cit.; et libr. Octoginta trium questionum, quæst. 30.

(7) S. Thom. ibid. art. 4.

(8) Ad Roman. cap. 12, vers. 12.

An fructio sit
amore
perfectior.

Et hactenus de fruitione (1). Solum forte quæserit quispian, uter actus perfectior sit, amorne an fructio. Amor per se et ex natura rei perfectior est gaudio, nam «est principium et fons ejus, et gaudium et quasi passio amoris: nam amor est, qui efficit primam unionem inter amatum et amantem: qua ratione aliis actibus præfertur: ergo et gaudio. Et confirmatur in amore et gaudio charitatis (in quibus Capreolus gaudium præfert amori); amor enim ipse est essentialiter ipsa charitas, gaudium vero est quid consequens, unde odium Dei, quod opponitur amori, majus peccatum est, quam accidia, quæ opponitur gaudio de bonis Dei (2). Sed quid si amor sit inordinatus de re propter delectationem tantum? eritne tunc minus perfectus, quam delectatio subsequens? Respondetur, per se non esse necessarium, nam sæpe actus viæ est perfectior suo objecto, ut actus videndi albedine visa: interdum vero contingere poterit delectationem amatam esse perfectiorem, si ex natura sua nata sit oriri ex quodam actu nobiliori, quam sit amor delectationis» (3).

Sole rationales
creature
frui perfecte
queunt.

Quæ cum ita sint, solæ creature rationales perfecte frui possunt; sicut enim solæ finem perfecte ac formaliter cognoscere queunt, sic etiam solæ in ejus possessione conquiescunt. Sed quoniam bruta quoque imperfecte ac materialiter finem cognoscere valent, *frui cibo et aliis voluptatibus non absurde existimantur et bestię, nimirum imperfecte*. Res vero inanimæ, quia sese movere ad finem nequeunt, non proprie fruuntur, sed solum per metaphoram, sicut etiam simili modo dicuntur appetere, desiderare, etc. (4).

Quid intentio;

68. Sed jam de intentione, qui tertius est actus voluntatis circa finem, dicendum est. Intentio est ab *intendere*, intendere autem, ut ipsa vox indicat, est in *aliud tendere*. Et omnes quidem potentiæ cognoscitivæ in objecta sua tendunt, unde et actus earum *intentiones* nominantur, immo et res ipsæ inanimæ in fines suos quodammodo intendere dicuntur

(1) Hæc fusi pertracta reperies apud Suarez, Valentia et alios auctores citatos.

(2) S. Thom. 2. 2. quæst. 34 et 35.

(3) Suarez, loc. nup. cit. num. 4.

(4) Vide P. Valentia, loc. cit. punct. 3.

per innatum appetitum. Proprie tamen ubi sermo est de fine ac bono, intentio importat voluntariam tendentiam in aliquem finem, ordinando motum vel actionem ad illius assecutionem (1); tunc enim proprie tendimus in finem, cum de illius assecutione cogitamus. Unde sequitur intentionem esse aliquid ad intellectum vel voluntatem pertinens, et ideo brutis proprie non competit tendere in finem, quia non possunt ordinare motum suum ad finem, sed tantum improprie, quatenus instinctu naturali ducuntur ad aliquid (2). Quod si quæras, num intentio sit actus intellectus, an vero voluntatis, S. Bonaventura statuit intentionem ad intellectum et voluntatem æque pertinere, ita ut intentio non sit unus simplex actus, sed quasi mixtus ex duobus, quia intentio importat appetitionem finis simul cum collatione mediolorum ad eundem (3). Melius tamen dicitur intentionem formaliter esse actum voluntatis. Et probatur argumento S. Thomæ (4). «Nam ejus potentiæ actus est intentio proprie, per quam proprie in aliud tenditur. Sed talis est potentia voluntatis. Ergo intentio est actus voluntatis. Major probatur. Nam intendere, nihil aliud est, quam in aliquid tendere. Minor probatur, quoniam voluntatis est movere se et reliquas potentias ad exercitium actus» (5), ut probat S. Thomas (6), et nos in sequenti articulo dicemus. Intentio tamen voluntatis subauditur iudicium et ordinem rationis.

Itaque intentio definiri potest actus voluntatis circa finem ut prosequendum per aliqua media. Quod sit actus voluntatis, probatum jam manet; quod vero sit actus circa finem ut prosequendum per media, egregie declaratur a S. Thomæ: *Per hoc... quod dicitur in aliquid tendere, importatur quædam distantia illius, in quod aliquid tendit; et ideo quando appetitus fertur immediate in aliquid, non dicitur esse intentio illius,*

(1) S. Thom. 1. 2. quæst. 12, art. 5.

(2) Vide S. Thom. loc. nup. cit.; et 2.^o dist. 38, quæst. 1, art. 3; et S. Bonavent. 2.^o dist. 38, art. 2, quæst. 1; et Valentia, loc. cit. disp. quæst. 7, punct. 4.

(3) Vide S. Bonavent. 2.^o dist. 38, art. 2, quæst. 2.

(4) Vide S. Thom. 1. 2. quæst. 12, art. 1; 2.^o dist. 38, quæst. 1, art. 3; de verit. quæst. 22, art. 13.

(5) Gregorius de Valentia, In 1.^{am} 2.^æ disp. 2, quæst. 7, punct. 2.

(6) S. Thom. 1. 2. quæst. 9, art. 1.

utrum brutis
competat,et utrum
ad intellectum,
an vero
ad
voluntatem
spectet.Definitur
intentio.

sive hoc sit finis ultimus, sive sit aliquid ad finem ultimum: sed quando per unum quod vult, in aliud pervenire nititur, illius, in quod pervenire nititur, dicitur esse intentio. Hoc autem est finis: propter quod intentio dicitur esse de fine, non secundum quod voluntas in finem absolute fertur, sed secundum quod ex eo, quod est ad finem, in finem tendit. Unde intentio in ratione sua ordinem quemdam unius ad alterum importat. Ordo autem unius ad alterum, non est nisi per intellectum, cuius est ordinare (1).

Quo pacto inter
se habeant
intentio, deside-
rium et
voluntas actus.

Hinc facile concludes: 1.^o quo pacto se habeant inter se intentio et amor seu voluntas actus, et desiderium. Voluntas enim respicit finem simpliciter tanquam bonum per se amabile, intentio vero tanquam obtinendum per aliquod medium (2).

Unde intentio solum reperitur in absentia finis, at voluntas manere potest etiam obtento fine: id quod distinctionem horum duorum actuum demonstrat. Circa distinctionem vero intentionis a desiderio, quamvis non unus est modus loquendi auctorum, probabilius videtur intentionem quidem distingui a desiderio inefficaci, non autem ab efficaci. «Desiderium enim generali significatione quamcumque appetitionem obtinendi boni, quo aliquis caret, significat: et non solum ad appetitionem efficacis voluntatis, sed etiam ad imperfectas volitiones vel velleitates rerum etiam impossibilium sese extendit: intentio vero solum videtur significare absolutam et efficacem voluntatem obtinendi finem amatum per media consentanea. Quocirca si de desiderio non in illa generali significatione loquamur, sed prout est desiderium efficax finis, isto modo non videtur habere rationem formalem distinctam ab intentione, quia habet idem formale objectum, scilicet obtinere bonum absens. Nam cum dici solet, de ratione desiderii esse, ut versetur circa bonum absens, non est intelligendum, desiderium versari circa ipsam absentiam, nam potius istam fugit; sed versatur sub quadam ratione, quæ necessario supponit absentiam. Hæc autem non est sola ratio boni ut sic, nam sic indifferens est ad absentiam et

(1) S. Thom. 2.^o dist. 38, quest. 1, art. 3.

(2) Vide S. Thom., de verit. quest. 22, art. 13 et 14.

præsentiam. Ergo dicit consecutionem boni non habiti. Sed hoc ipsum appetit intentio. Ergo, etc.»... (1). Ergo intentio non differt ab efficaci desiderio.

Concludes 2.^o actum intentionis vel expresse, vel certe implicite ac virtute, importare mediorum appetitionem in communi: in quo differt a voluntate actu. Et ratio est, quia intentio est efficax desiderium obtinendi finem. Sed velle finem efficaciter et absolute ut consequendum est velle exsequi omnia media necessaria ad finem. Ergo... Dixi intentionem importare appetitionem mediorum in communi. Nam intentio, qua talis, non est volitio alicujus medii particularis, ut medium est: quia intentio, qua talis, præcedit electionem et consilium, at volitio medii particularis supponit consilium, quod præmitti solet electioni. Eo vel magis, quod, posita intentione integra et perfecta, nullum particulare medium per se appetitur; immo vero si, facta consultatione, unum tantum medium reperiri contingat, potest voluntas mutare intentionem, et non velle rem. Ergo intentio non est necessario conjuncta cum voluntate medii particularis. Dixi intentionem non importare volitionem medii particularis, ut medium est. Nam fieri potest, «ut id, quod est medium, sit alia ratione per se appetibile: et hac ratione potest intentio in illud ferri, et idem est de voluntate. Fieri etiam potest, ut unum medium ad illud medium ordinetur; et ut sic etiam intentio versatur circa medium, quatenus habet rationem finis» (2).

Concludes 3.^o intentionem quamvis semper sit circa finem, non tamen debere esse tantum circa ultimum finem, sed posse etiam esse circa finem medium vel proximum; nam etiam finis hujusmodi potest habere rationem termini respectu motus præcedentis, ac proinde non repugnat, quod intendatur (3).

Intentio
vel expresse
vel implicite
importat medio-
rum
appetitionem
in communi.

Intentio
non est tantum
circa ultimum
finem.

(1) Suarez, loc. cit. disp. 6, sect. 1, num. 6; et lege etiam, si lubet, num. 7 et 8.

(2) Suarez, loc. nup. cit. sect. 2, num. 2. «Aliqui præterea addunt intentionem versari circa media particularis; non appetendo aliquod medium propter finem, sed appetendo finem per tale medium, seu appetendo finem in medio. Sed hæc omnia mihi videntur verba distincta, non res». Suarez, ibid.

(3) Vide S. Thom. 1. 2. quest. 12, art. 2.

An et quo pacto
voluntas
possit
intendere simul
plura objecta.

Concludens 4.^o, an et quo pacto voluntas possit intendere plura simul objecta. Primum enim patet, quod possit simul intendere diversa objecta, si illa fuerint invicem ordinata. Ut enim modo notabamus, intentio potest esse non solum finis ultimi, sed etiam finis medii vel proximi. *Simul autem intendit aliquis et finem proximum et ultimum, sicut confectionem medicinae et sanitatem* (1). Deinde possunt etiam plura simul intendi, quamvis non sint inter se ordinata, ut experientia ipsa notum est. Nam cum unum præ altero eligimus, ideo id facimus, quia animadvertimus primum ad plura valere; quæ ideo possumus tunc simul intendere, licet sint inter se disparata. Ut si quis pecuniam habere malit, quam libros, propterea quod pecunia possunt comparari et libri et vestes et cibi et alia (2). Observandum tamen est, quando plura, hoc pacto invicem non ordinata, cadunt simul in intentionem, habere solere ordinem ad aliquid aliud tertium: ut si quis intendat simul habere vestem et cibos, propterea quod ista valent ad vitam sustentandam (3). Non possunt tamen simul cadere in intentionem plura tamquam fines ultimi, qui scilicet nec alter ad alterum, neque uterque ad tertium referantur (4), prout communis tenet sententia, et fuse probat S. Thomas (5).

An voluntas
eodem
actu velit
finem et media.

Quod si quæras, utrum eodem actu voluntas velit finem et media, non una est veterum sententia (6), quamvis communior videatur doctrina S. Thomæ hisce verbis concepta: *Cum finis sit secundum se volutus, id autem quod est ad finem, in quantum hujusmodi, non sit volitum nisi propter finem.*

(1) S. Thom. 1. 2. quæst. 12, art. 3.

(2) P. Valentia, loc. cit. quæst. 8, punct. 2, ex S. Thom. 1. 2. quæst. 12, art. 3.

(3) Vide Valentia, ibid. Cfr. S. Thom. loc. nup. cit. art. 3, ad 2.^{um}

(4) S. Thom. ibid. ad 1.^{um}

(5) 1. 2. quæst. 1, art. 5. Vide ib. Valentia, disp. 1, quæst. 1, punct. 6; Suarez, de ultimo fine hominis. disp. 3, sect. 3, etc., etc.

(6) Vide Vazquez (In 1.^{am} 2.^æ, disp. 33), Salas (ibid. tract. 5, disp. 1, sect. 6), Valentia (ibid. disp. 2, quæst. 3, punct. 3; et quæst. 8, punct. 3), Cajetan. et Medina (In 1.^{am} 2.^æ, quæst. 8, art. 3; et quæst. 12, art. 4), Suarez (de voluntar. et involuntar., disp. 8, sect. 3), Sylvi-um (In 1.^{am} 2.^æ, quæst. 8, art. 3; et quæst. 12, art. 4), Lössada (de anim. disp. 9, cap. ult. num. 113-120).

manifestum est, quod voluntas potest ferri in finem, in quantum hujusmodi, sine hoc quod feratur in ea, quæ sunt ad finem. Sed in ea, quæ sunt ad finem, in quantum hujusmodi, non potest ferri, nisi feratur in ipsum finem. Sic ergo voluntas in ipsum finem dupliciter fertur: uno modo absolute ac secundum se, alio modo, sicut in rationem volendi ea, quæ sunt ad finem. Manifestum est ergo, quod unus et idem motus voluntatis est, quo fertur in finem, secundum quod est ratio volendi ea, quæ sunt ad finem, et in ipsa, quæ sunt ad finem. Sed alius actus est, quo fertur in ipsum finem absolute, et quandoque præcedit tempore; sicut cum aliquis primo vult sanitatem, et postea deliberans, quomodo possit sanari, vult conducere medicum, ut sanetur. Sic etiam et circa intellectum accidit. Nam primo aliquis intelligit ipsa principia secundum se, postmodum autem intelligit ea in ipsis conclusionibus, secundum quod assentit conclusionibus per principia (1).

Ex quibus hæc elicitur doctrina: 2) *Voluntas non semper eodem actu vult finem et media*; nimirum quando finem appetit absolute et secundum se, vel etiam quando appetit quidem finem ut assequendum per media, quæ supponuntur non defutura, quamvis nullum adhuc in particulari occurrat. Et tunc intentio finis est actus realiter distinctus ab electione, ac potest etiam illam præcedere tempore. 3) *Voluntas interdum uno eodemque actu fertur in finem et media*; videlicet cum movetur in media propter finem, vel etiam in finem tamquam in rationem formalem volendi hoc vel illud medium. Tunc vero intentio et volitio sunt unus idemque re actus, quamvis possint ratione discrepare: nam erit intentio, quatenus fertur in finem ut per media assequendum; electio vero, quatenus fertur in media ut ordinata in finem. Hæc tamen intelligenda sunt ex quorundam sententia de motu, quo voluntas et in finem et in media simul expresse fertur; nam fieri etiam posse dicunt, ut voluntas expresse eligendo media, solum virtualiter finem intendat: quare hujusmodi actus formaliter esset electio, et solum virtualiter intentio (2). Denique quoniam non desunt media, quæ

(1) S. Thom. 1. 2. quæst. 8, art. 3. Cfr. ibid. quæst. 12, art. 4; de verit. quæst. 22, art. 14; 2.^o dist. 38, art. 4.

(2) Vide Suarez, loc. cit. num. 3-5; Valentia, loc. cit.

habeant intinsecam appetibilitatem, etiam præcisa consideratione utilitatis ad finem aliquem assequendum; γ) *possunt ista media propter se appeti*. Sed ejusmodi motus voluntatis nullatenus tenderet in finem, nec proprie foret electio (1).

§ II.—ACTUS VOLUNTATIS CIRCA MEDIA.

Actus præcipui voluntatis circa media sunt electio et usus.

Quot actus in electione occurrant,

et in quonam consistat formaliter electio.

69. Hi sunt actus voluntatis circa finem elicit; circa medium, ut medium est, duo præcipue eliciuntur, *electio et usus*. Postquam enim voluntas finem intendit, intellectus de mediis ad illum assequendum idoneis consiliatur, eaque voluntati proponit, quæ aliquod illorum acceptat, seu eligit, et postea executioni mandandum curat, applicando potentiam ad operationem, quod est usus.

In electione itaque duo actus occurrunt: *judicium rationis concludentis unum medium præ aliis esse amplectendum, et acceptatio ejusdem*. Quæritur ergo, in quonam ex istis duobus actibus sit formaliter electio, ac proinde utrum vere pertineat ad voluntatem, an vero ad intellectum. Sententia Nemesii (2) est, quod *electio neque est appetitus secundum seipsum, neque consilium solum, sed ex his aliquid compositum* (3). Communis tamen opinio cum S. Thoma tenet, electionem proprie esse actum voluntatis, præsupposito tamen iudicio illo rationis (4). Quod ab Aquinate probatur duplici argumento: *Primo ex rationi objecti, quia proprium objectum electionis est id, quod est ad finem, quod pertinet ad rationem boni, quod est objectum voluntatis: nam bonum dicitur finis, ut honestum vel delectabile, et quod est ad finem, ut utile. Secundo ex ratione ipsius actus. Electio enim est ultima acceptio, qua aliquid accipitur ad prosequendum, quod quidem non est ratio- nis, sed voluntatis: nam quantumcumque ratio unum alteri præferat, nondum est unum alteri præceptatum ad operandum,*

(1) Vide Suarez, Valentia, Sylvium, Lossada, locis cit.

(2) *De natura homin.* cap. 33. prop. fin. Vide in *Patrologia* graeca Migne, tom. 40.

(3) Apud S. Thom. 1. 2. quæst. 13, art. 1.

(4) Ancipitem hac de re fuisse Aristotelem arbitratur S. Thomas (*de verit.* quæst. 22, art. 15); at P. Salas (*In 1.^{am} 2.^{am}, tract. 6, disp. 1, sect. 5*), comparatis variis locis Philosophi, concludit illum electionem in voluntate possuisse.

quoque voluntas inclinatur in unum magis, quam in aliud; non enim voluntas de necessitate sequitur rationem. Est tamen electio actus voluntatis non absolute, sed in ordine ad rationem; eo quod in electione apparet id, quod est proprium rationis, scilicet conferre unum alteri, vel præferre: quod quidem in actu voluntatis invenitur ex impressione rationis, in quantum scilicet ipsa ratio proponit voluntati aliquid non ut utile simpliciter, sed ut utilius ad finem (1). Ex quo etiam patet, cur electio speciali quodam modo requirat directionem rationis, immo et quandam informationem, ut indicat S. Thomas alibi (2), quod ex hoc loco bene intelligitur (3). Cæterum electio, saltem si stricte sumatur et secundum vim vocis, requirit, ut fiat inter multa, unum cæteris præferendo: tamen in Philosophia morali generalius sumitur, et omnis volitio efficax alicujus rei particularis, quæ non propter se amatur, sed propter aliud, electio nominatur, quamvis non fiat inter plura, sed medium sit unicum (4). Quare definitur electio potest volitio efficax mediæ ad finem aliquem obtinendum.

Hinc cum electio stricte sumpta indifferentiam aliquam inter multa, saltem sæpe, importet, semper autem collationem mediorum cum fine; non potest competere brutis animalibus, utpote quæ sunt determinata ad unum, nec possunt comparationem instituere (5).

Quod spectat ad objectum electionis, illud debet esse 1.^o medium particulare qua tale seu bonum utile, prout communis tenet sententia. Electio enim distinguitur a voluntate actu, et intentione, ut patet ex communi omnium sensu. Atqui omnis volitio boni, quod propter se amatur, ad voluntatem pertinet vel ad intentionem; nec assignari potest, quo alio pacto electio possit rem appetere propter se, ut sufficienter distinguatur a voluntate atque intentione. Ergo electio

Definitur electio:

quæ non potest brutis proprie competere.

Quale objectum electionis prima conditio.

(1) S. Thom., *de verit.* quæst. 22, art. 15.

(2) S. Thom. 1. 2. quæst. 13, art. 1.

(3) Vide, si lubet, solutas quasdam difficultates apud S. Thomam locis citatis.

(4) Vide Suarez, loc. cit. disp. 8, sect. 1, num. 2.

(5) Vide S. Thom. 1. 2. quæst. 13, art. 2. Et ibid. Valentia et alios commentatores.

non potest esse nisi de bono propter alium. Præterea quod sequitur ex intentione finis ut sic, est volitio mediæ propter finem, nec est præter electionem alius actus, ad quem pertineat ita velle medium. Ergo hoc est objectum electionis (1). Tertio, id quod sub electionem cadit, se habet instar conclusionis syllogismi practici, nam a voluntate eligitur id, quod ratio concludit esse præ aliis eligendum. Atqui finis se habet in operabilibus, ut principium in speculativis, medium vero ut conclusio. Ergo electionis objectum est medium (2).

Objectio Soluta. Objicitur in contrarium experientia. Nam sæpe inter plura bona per se appetibilia unum eligimus præ aliis, ut cum quis sanitatem corporis præfert integritati membrorum, pulchritudini, scientiæ, virtuti, gloriæ divinæ. Immo vero etiam inter ipsos fines ultimos videtur electio dari; nam licet verus ultimus finis sit unus duntaxat, potest homo illum, per errorem, in multis rebus reponere, et ita inter illos eligere: quo pacto, ipsi sacris Litteris testantibus, homines eligere queunt inter Deum et creaturas vel demonem, et Deus ipse unum præ alio eligit inter plures homines, locos vel populos (3). Ergo electio potest esse non mediorum solum, sed finis etiam.—**Respondeo, dist.** Si sermo sit de aliquo fine proximo, qui ad alium ordinatur, *concl.*; si sermo sit de fine ultimo, *subdist.*: de fine ultimo cognito vel proposito, prout talis est, ab eligente; *neg.*; non cognito aut non proposito, prout talis est, *concl.* Nam si attente res perpendatur, ubicumque instituitur deliberatio ad eligendum inter plura, quæ habent, vel possunt habere rationem finis, deprehenditur nullum illorum ante talem electionem intendi ut finem, sed potius subijci, et ordinari, vel formaliter vel virtualiter ad aliquem alium finem, quem præstitutum sibi habet voluntas, ut facile perscipi potest in adducto prius exemplo. Cum vero electio instituitur inter Deum et creaturas, vel non tam Deus ipse et creaturæ in se, verum servitium Dei et creaturarum inter se comparantur, quæ quidem ordinari possunt ad ultimam felicitatem, vel certe Deum, saltem practice, in eo eventu non

- (1) Suarez, loc. cit. num. 3.
 (2) Hæc tamen ratio non placet P. Gregorio de Valentia.
 (3) *Deuteron.* cap. 26, vers. 17, et alibi passim.

proponitur ut finis ultimus. Repugnat enim, ut dum aliquid proponitur tamquam ultimus terminus affectionum nostrarum, inquiretur, num aliquid aliud ei præferendum sit. Omnis ergo consultatio inter plures fines et consequens electio supponit, illos non tam ut fines, quam ut media ad alium finem ordinata considerari (1).

Objectum electionis debet esse 2.^o possibile saltem in apprehensione eligentis. Primo, quia electio procedit ex efficaci finis obtinendi intentione. Atqui efficax voluntas nequit ad illud, quod impossibile censetur, obtinendum inclinare. Præterea electionis objectum est bonum utile ut sic; impossibile autem non est utile (2).

Objectum electionis debet esse 3.^o aliquid, quod per nos faciendum est (3). Et probatur inductione, quia sicut quidquid intenditur ut finis, semper est vel aliqua actio vel res, prout tamen attingenda per nostram actionem, ita etiam nihil eligitur nisi vel operatio vel res, in qua nostra operatio aliquo modo interveniat. Quæ enim nullam prorsus continent operationem nostram, amari quidem, atque desiderari dicuntur, non autem eligi (4). **Nec dicas** aliquos interdum eligi in episcopos vel alios magistratus ab iis, qui nihil erga illos agunt.—**Nam** qui eligit episcopum, eligit per voluntatem nominare, seu exterius designare aliquem ad talem dignitatem: *alioquin si nulla esset ejus actio ad constitutionem episcopi vel principis civitatis, non competeret ei electio. Et similiter dicendum est, quod quandocumque dicitur aliqua res prælegi alteri, adjungitur ibi aliqua operatio eligentis* (5).

Quæres, quo pacto finis influat in electionem, physica ne efficientia, an solum morali. Physice influere docent PP. Vazquez (6), Salas (7), Ruiz de Montoya (8) et alii. Contrarium

- (1) Vide S. Thom., 1. 2. quest. 13, art. 3 corp. et ad 2.^{um}; Suarez, loc. cit. num. 5.
 (2) Vide S. Thom., *ibid.* art. 5.
 (3) Vide Aristot., *Ethicor.* lib. 3, cap. 2.
 (4) Vide S. Thom. 1. 2. quest. 13, art. 4.
 (5) S. Thom., *ibid.* ad 3.^{um}, ubi quædam alia videri possunt.
 (6) In 1.^{am} 2.^æ, disp. 33, cap. 4, num. 21.
 (7) In 1.^{am} 2.^æ, tract. 3, disp. 5, sect. 6, num. 64, *Existimo ergo probabiliter*.
 (8) *De Providentia*, disp. 36, sect. 5, num. 12.

Secunda
conditio objecti.

tertia,

Quo pacto
finis influat
in electionem,
physice ne, an
solum
moraliter.

tenent quidam Thomistæ apud eundem P. Vazquez, et P. Valentia (1), Oviedo (2), Soarez Lusitanus (3), Lossada (4) alique, quorum sententia probabilior videtur. Nam nulla est necessitas ejusmodi physicæ efficientiæ. Ergo non est admittenda. Prob. antec. Non alia assignari potest ratio physicæ causalitatis, quam necessaria dependentia electionis ab intentione. Atqui non magis electio dependet ab intentione, quam actus voluntatis a prævia cognitione, sine qua ne divinitus quidem dari volitio potest, ut superius ostensum est (5); et nihilominus cognitio non influit instar physicæ causæ, verum tantum instar conditionis (6). Ergo nec intentio physice influere in electionem dicenda est, quamvis hæc ab illa dependeat. Sed sufficit, ut moraliter influat, alligando nempe bonitate finis intenti voluntatem, ut idonea eligat media.

Actus intellectus
præcedentes
electionem.

70. Plena electionis declaratio postulat, ut pauca quædam addantur de cognitione, quæ electionem præcedit. Cum enim voluntas sit potentia cæca, sicut intendere nequit finem non ab intellectu propositum, ita nec eligere media, quæ per cognitionem non suggerantur. Qua de re facile ex dictis infertur electionem præcedere debere iudicium aliquod intellectus, idque non speculativum, sed practicum, sicut superius monuimus de iudicio generatim requisito ad omnem actum voluntatis. Simili modo negandum est, iudicium ejusmodi practicum debere esse instar imperii efficaciter voluntatem determinantis ad electionem. Ut vero distinctius de hac re loquamur, actus intellectus, electionem præcedens, vocatur *consilium*: estque inquisitio quædam mediorum, quæ non fit sine discursu et consideratione circumstantiarum et difficultatum cæterarumque rerum omnium, quæ ad rectum ferendum iudicium de mediis necessaria sunt. Ideo vocatur a Damascenô appetitus inquisitivus, non quod formaliter sit actus appetitus, sed quia quamvis proprie ac formaliter sit

- (1) In 1.^{am} 2.^æ, disp. 2, quæst. 3, punct. 3, fin.
- (2) *De anim.*, controv. 11, punct. 7.
- (3) *De anim.*, tract. 6, disp. 1, sect. 4, paragr. 6, num. 104, seqq.
- (4) Lossada, *de anim.* 9, cap. ult. num. 121.
- (5) Vide supra num. 11, pag. 21 seqq.
- (6) Vide supra num. 14, pag. 27 seqq.

actus intellectus, requirit tamen voluntatis concursus, tum quia est actus intellectus habens pro materia actum voluntatis, est enim circa ea, quæ homo vult facere; tum quia ponitur ex motione voluntatis, sicut ipsa electio, quandoquidem ex eo quod vult homo finem, movetur ad consiliandum de his, quæ sunt ad finem (1). Verum quoniam ad electionem non sufficit solum inquisitio et inventio mediorum, sed requiritur etiam iudicium de illis, quaeritur, utrum consilium hæc duo includat, an vero primum duntaxat, ideoque distinguatur a iudicio et resolutione circa rem faciendam. Non una est auctorum sententia: Cajetanus (2), Valentia (3) et alii censent consilium complete sumptum complecti et inquisitionem et iudicium, quo post ratiocinium ac deliberationem tandem concluditur, quid faciendum sit. Verum alii, ut Medina (4) et Azor (5), putant consilium solam inquisitionem importare, quod aperte significat etiam S. Thomas, scribens inquisitionem, quo nomine significat consilium, præcedere ante iudicium vel sententiam (6): quæ est etiam sententia Damasceni (7), Nemesii (8) et Aristotelis (9). Alii denique, quibus favet vulgaris usus loquendi, arbitrantur consilium esse vocem æquivocam, quæ modo pro sola inquisitione sumitur, ut in Psalmo duodecimo: *Quamãtu ponam consilia in anima mea?* modo pro solo iudicio seu determinatione de agendis, ut videtur usurpari a Cicerone (10), et certissime significatur, cum dicimus *consilium pelere, dare, vel accipere*, etc.: quo pacto etiam competit Deo, qui *operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ* (11), quamvis

An consilium
distinguitur
a iudicio,
vel conclusionem,
mediorum
inquisitionem
consequente.

- (1) Vide S. Thom. 1. 2. quæst. 14, art. 1, ad 1.^{um}.
- (2) In 1.^{am} 2.^æ, quæst. 14 initio.
- (3) In 1.^{am} 2.^æ, disp. 2, quæst. 9, punct. 1, fin.
- (4) In 1.^{am} 2.^æ, quæst. 14, art. 1-4.
- (5) *Instît. Moral.* tom. 1, lib. 1, cap. 28, quæst. 3.
- (6) S. Thom. 1. 2. quæst. 14, art. 1; et 1. p. quæst. 83, art. 3, ad 2.^{um}.
- (7) S. Joann. Damasc., *de fide orthod.* lib. 2, cap. 22.
- (8) *De philosoph.* lib. 5, cap. 4.
- (9) *Ethicor.* lib. 6, cap. 9.
- (10) Cicero, *de Inventione*, lib. 1, cap. de Confirmatione.
- (11) *Ephes.* cap. 1, vers. 11. Cfr. *Hebr.* cap. 6, vers. 17.

competere nequeat inquisitio vel deliberatio (1); modo denique pro complexu ex inquisitione vel consultatione et iudicio: quem sensum præ se ferunt verba illa sacrarum Litterarum: *Ipsæ dissipat consilia gentium* (2), et: *Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum* (3), etc. Atque hæc est sententia Doctoris Eximii (4) et P. Joannis Salas (5). Quidquid opinandum de hac re censueris, vides plane consilium non esse actum simplicem, sed varios sub se actus comprehendere. Cæterum consilium, saltem quatenus inquisitionem vel consultationem importat, non semper et ubique necessarium est, sed tantum in contingentibus ac dubiis; nam nec de certis ac determinatis, nec de parvis, quæ parum referunt, ut sic vel aliter fiant, non solet esse consultatio, ut docet S. Thomas (6). Ex quibus etiam constat materiam consilii et electionis esse fere eandem, nempe actiones nostras, vel quæ his actionibus subiunguntur, vel ad illas conferunt, vel generatim media, nam circa finem ipsum non datur consultatio, nisi forte circa finem non ultimum, sicut de electione dictum est. Solum addendum est, materiam consilii graviores esse, quia ratione inquisitionis multa in consilio considerari solent, quæ postmodum non cadunt sub electionem (7). Aliæ quædam quæstiones circa consilium videri queunt apud S. Thomam et interpretes (8).

Post consilium inducit S. Thomas alium actum, quem *consensum* dicit, probatque ad voluntatem pertinere (9). Unde quamvis consensus multa potest significare, ut v. g. iudiciorum vel affectuum conformitatem, acceptationem generatim voluntatis propositioni sibi factæ, quo pacto dicimus præbere consensum divinæ auxilio vel diabolice suggestioni,

- (1) Cfr. S. Thom. 1. 2. quæst. 14, art. 1, ad 2.^{um}.
- (2) *Psalms*. 32, vers. 10.
- (3) *Proverb.* cap. 21, vers. 30.
- (4) *Loc. cit.*, disp. 8, sect. 5, num. 2.
- (5) *Loc. cit.*, tract. 6, disp. 3, sect. 1, num. 4.
- (6) *Ibid.*, quæst. 14, art. 4 et 1. Cfr. Suarez, *loc. nup. cit.*
- (7) Suarez, *loc. nup. cit.* Vide S. Thom. 1. 2. quæst. 15, art. 2 et 3.
- (8) Vide S. Thom. (*in cit. quæst.* 14, art. 5 et 6), Suarez (*loc. nup. cit. sect. 5*), Valentia, (*In 1.^{am} 2.^æ disp. 2, quæst. 9, punct. 3*), Cajetan., Medina, etc. (*In 1.^{am} 2.^æ quæst. 14*).
- (9) Vide S. Thom. 1. 2. quæst. 15, art. 1.^o et 2.^o

Consilium
non semper est
necessarium.

De quibus
sumatur
consilium.

Quid
consensus

etc.; hic tamen usurpatur pro actu quodam voluntatis consequente consilium et iudicium rationis, ac definitur a S. Thoma *applicatio appetitivi motus ad determinationem consilii* (1). Quæstio autem est, utrum consensus re distinguatur ab electione. P. Suarez putat re non differre, sed tantum ratione, «nam quatenus voluntas vult, inquit, quod intellectus iudicet esse utile, dicitur consensus; quatenus vero illud præfert vel aliis mediis utilibus, vel certe aliis rebus inutilibus non conducentibus ad finem, dicitur electio» (2). Idque probabile censet P. Valentia (3). At vero S. Thomas, quamvis concedat cum unum tantum occurrit medium, quod placeat, non re distingui electionem a consensu, sed tantum ratione, alias tamen re distingui arbitratur (4), in eoque videtur reponere differentiam, quod proprium consensus est probare quodlibet mediorum per iudicium rationis propositorum, electionis vero unum eorum cæteris præferre (5). Quæ cum ita sint, hæc est, docente Aquinate, series actuum respectu mediorum. Amor et intentio finis, qui facit, ut voluntas decernat investigare media, quare intellectus consiliatur circa illa, et tandem iudicat concludendo, quænam sint magis minusve idonea, et illa mox voluntas approbat, ac tandem unum seligit, aliis relictis. Post hæc solum restat executio mediorum, ad quam requiritur *usus*.

71. Usus apud Theologos in hac materia de actibus ordinatis ad finis assecutionem contraponitur fruiioni, docente

- (1) S. Thom. 1. 2. quæst. 15, art. 3. *fin. corp.*
- (2) Suarez, *loc. cit. disp. 8, sect. 2, num. 5.*
- (3) *Loc. cit.*, quæst. 10, punct. 1.
- (4) S. Thom. 1. 2. quæst. 15, art. 3. *corp.* et ad 3.^{um} Idemque satis eruitur, ex eo quod S. Tomas distinctis in questionibus agat de electione et consensu, nempe quæst. 13 et 15.
- (5) *Electio addit supra consensum quandam relationem respectu ejus, cui aliquid præeligitur; et ideo post consensum adhuc remanet electio. Potest enim contingere, quod per consilium inventiantur plura ducentia ad finem, quorum dum quodlibet placet, in quodlibet eorum consentitur, sed ex multis, quæ placent, præaccipimus unum, eligendo. Sed si inveniatur unum solum, quod placeat, non differunt re consensus et electio, sed ratione tantum; ut consensus dicatur, secundum quod placet ad agendum, electio autem, secundum quod præfertur his, quæ non placent.* S. Thom. 1. 2. quæst. 15, art. 3, ad 3.^{um}.

et ab
electione distin-
guatur.

Recapitulatio
et series actuum
circa media.

Quid unus,

S, Augustino: *Utimur bis, quæ ad aliud referimus, quo fruendum est* (1). Secundum quæ alibi scribit S. Doctor: *Creaturis non esse fruendum tanquam ultimo fine, sed solo Deo, creaturis autem esse utendum* (2): quare omnem humanam perversionem esse fruendis velle uti (ea videlicet referendo ad aliud) et utendis frui (non referendo illas ad Deum, in quo solo tanquam ultimo fine quiescendum est) (3). Quare usus in hac materia est proprie actus versans circa media, per quæ finis obtinendus est, ita ut non possit esse circa finem ultimum, sicut de electione dietum est (4). Usus itaque definitur cum S. Thoma (5) *applicatio rei ad aliquam operationem*: cum enim voluntas vult aliquid, ad quod requiratur actio manus, pedis, oculorum, vel alterius rei, potestatem habet applicandi eam ad opus. Si autem queras, ad quam potentiam proprie spectet usus, notandum est quod ipsa quoque operatio, ad quam applicamus rem aliquam dicitur usus ejus, sicut equitare est usus equi, et percutere est usus baculi (6), et videre est usus oculi, et motus instrumenti ad efficiendum aliquid est usus illius. Hæc tamen operatio, ad quam res aliqua applicatur, non dicitur usus, nisi quatenus imperatur, et ordinatur ab illa potentia, cujus est proprium applicare, vel movere cæteras omnes ad operandum, qualis est voluntas. Quare in usu distinguenda est actio potentiæ interioris, voluntatis, applicantis aliam potentiam vel rem ad exsequendum opus, ab actione potentiæ sic ad operandum applicatæ. Actio enim externa rei remotius est usus, quia res exteriores non applicantur ad operandum, nisi mediis potentiis animæ ac membris corporis. Dicunt ergo quidam, usum non esse proprie operationem interiorum voluntatis, applicantis rem vel potentiam aliquam ad operandum, sed ipsam actionem hujusmodi potentiæ vel rei, ad operandum applicatæ, ideoque usum esse non actum elicutum a voluntate, sed imperatum. Alii melius cum S. Thoma censent usum proprie esse actum interiorum elicutum a

et ad quam
potentiam
spectet.

- (1) S. August., de Trinit. lib. 10, cap. 10.
 (2) Vide S. August., de doctr. christiana, lib. 1, cap. 33.
 (3) S. August., in libr. Oculoginta trium quest., quest. 3.
 (4) Vide S. Thom., 1. 2. quest. 16, art. 2.
 (5) S. Thom. 1. 2. quest. 16, art. 1.
 (6) S. Thom. loc. nup. cit.

voluntate, quamvis deinde minus principaliter dici possit de ratione, tanquam dirigente voluntatem in suis actibus, et de cæteris potentiis, tanquam exsequentibus internam voluntatis decretum. *Usus rei alicujus, inquit Angelicus, importat applicationem rei illius ad aliquam operationem, unde et operatio, ad quam applicamus rem aliquam, dicitur usus ejus.... Ad operationem autem applicamus et principia interiora agendi, scilicet ipsas potentias animæ, vel membra corporis, ut intellectum ad intelligendum, et oculum ad videndum, et res exteriores, sicut baculum ad percutiendum. Sed manifestum est, quod res exteriores non applicamus ad aliquam operationem nisi per principia intrinseca, quæ sunt potentia animæ, aut habitus potentiarum aut organa, quæ sunt corporis membra. Oslensum est autem supra (quest. IX, art. 1), quod voluntas est, quæ movet potentias animæ ad suos actus, et hoc est applicare eas ad operationem. Unde manifestum est, quod uti primo et principaliter est voluntatis tanquam primi moventis, rationis autem tanquam dirigentis; sed aliarum potentiarum tanquam exsequentium, quæ comparantur ad voluntatem, a qua applicantur ad agendum, sicut instrumenta ad principale agens. Actio autem proprie non attribuitur instrumento, sed principali agenti, sicut edificatio aedificatori, non autem instrumentis. Unde manifestum est, quod uti proprie est actus voluntatis* (1). Secundum quam doctrinam usus primo et principaliter est actus voluntatis, applicantis aliquam potentiam ad operationem; hæc vero applicatio tandem, supposita veritate eorum, quæ dicenda sunt circa modum, quo voluntas cæteras potentias movet, non est nisi efficax volitio decernens potentiam aliquam exercere suam operationem. Ad majorem vero perspicuitatem in loquendo, actus interior voluntatis, in quo principaliter est ratio usus, vocari solet a multis usus activus, operatio autem reliquarum potentiarum usus passivus. Ceterum quia voluntas potest etiam suos proprios actus vel operationes velle, sicut actus aliarum potentiarum, potest quoque se ipsa uti, vel seipsam ad operandum applicare (2). Ex quibus facile perspicies, electionem priorem esse illo usu, quo voluntas applicat potentiam executivam

Usus activus et
passivus.

- (1) S. Thom. 1. 2. quest. 16, art. 1.
 (2) S. Thom. loc. cit. art. 4, ad 3.^{um}.

ad opus, quamvis posterior sit eo usu, quo voluntas applicat intellectum ad consultandum de mediis, ex quibus electio facienda est (1). Verum hæc et quædam alia videri possunt apud S. Thomam (2).

§ III — DIVISIO ACTUUM VOLUNTATIS IN ELICITOS
ET IMPERATOS, UBI QUID SIT IMPERIUM ET AD QUAM POTENTIAM
PERTINEAT.

Quid imperium: 72. Imperium proprie ac primario dicitur actus, quo superior iungit suo subdito, ut aliquid faciat; ex quo secundo dicitur etiam imperium actus unius potentie, ex cuius determinatione sequitur actus alterius, quo sensu voluntas dicitur imperare actus aliarum potentiarum. Itaque elicitus vocatur actus, qui ab ipsa voluntate immediate efficitur, ut v. g. amor desiderium, etc.; imperatus vero est actus, qui efficitur ab aliqua potentia ex imperio ac motione voluntatis, ut v. g. actus ambulandi, scribendi, etc. (3). Verum voluntas, sicut se ipsa uti potest, ita etiam potest imperare non solum actus aliarum potentiarum, sed etiam suos, quemadmodum contra P. Vazquez et quosdam alios, id negantes (4), tenet jone communior doctrina cum S. Thoma: quo pacto actus castitatis, abstinentie, etc., potest imperari a voluntate per actum charitatis, prout docent Theologi. Quare quidam huic divisioni tertium membrum adjungunt actum voluntatis, qui simul sunt eliciti, quia ab ipsa immediate procedunt, et imperati, quia ponuntur ex determinatione præcedentis alicujus actus. Cæterum quoniam actus possunt a voluntate imperari, commodius dicitur in sequenti articulo. Actus quo voluntas hoc pacto respicit pro objecto alium actum suum, decernendo illum elicere, ut cum v. g. dicit: *Volo elicere contritionem*, appellatur *imperium reflexum*. Circa quod controvertitur inter Theologos, utrum detur naturaliter imperium reflexum efficax relate ad actum voluntatis determinate

et utrum detur relate ad actum voluntatis de presenti ac determinate elicendum.

- (1) S. Thom. 1. 2. quæst. 16. art. 4.
- (2) Vide S. Thom. (1. 2. quæst. 16), Suarez (loc. cit. disp. 9. sect. 1 et 2), Valentia (loc. cit. disp. 2. quæst. 11).
- (3) Vide S. Thom. 1. 2. quæst. 6. art. 4; 2.^o dist. 24. quæst. 1. art. 2. ad 3.^{um}
- (4) Vazquez, In 1.^{am} 2.^{am} disp. 51. cap. 5.

ac de præsentia elicendum, nempe utrum voluntas possit imperare imperio efficaci actum determinatum nunc statim ponendum, qui sit realiter distinctus ab ipso imperio. Et quæstio est de imperio *efficaci* ac determinato deque actu ponendo de presenti, quia vel ipsa experientia constat, quod detur hujusmodi imperium inefficax seu non ita connexum cum actu imperato, ut voluntatem determinet; immo et imperium efficax de actu alias ponendo, sicut etiam imperium confusum et indeterminatum, ut si quis nunc efficaciter proponat contritionem cras elicere, vel elicere indeterminate contritionem perfectam aut attritionem, vel elicere in genere actum virtutis, quoties se obtulerit occasio. At circa imperium efficax de actu elicendo determinate ac de presenti est ratio dubitandi, quia «voluntas dum potest elicere actum, v. g. religionis, nequit in ullo signo velle efficaciter ipsum elicere de presenti, quin intelligatur jam eliciens, seu quin illud *velle* sit formaliter *elicere* religionis actum; illud enim velle est conari efficaciter in elicentiam actus religionis, et ita conari est formalissime talem actum elicere; voluntas quippe non aliter actum elicit, nisi conando elicere, cum potest. Accedit, quod bonitas actus religionis, dum reflexe cognoscitur ut volibilis, ad sui possessionem allicit. Cum ergo actus ille se ipso statim possideri valeat, frustra voluntas laborabit alio actu distincto» (1). Propter hanc rationem negat posse dari naturaliter hujusmodi reflexum imperium P. Quiros (2), favetque Suarez (3), et ipse S. Augustinus (4). Sententia tamen contraria valde communis est et probabilis. «Non enim difficile videtur, quod ex uno motivo voluntas efficaciter velit amplecti sine mora motivum aliud. V. g. instante præcepto actus religionis, nec sine tentatione retrahente, cur non poterit quis ex motivo charitatis, aut gratitudinis, aut obedientie, vividius tunc proposito, efficaciter velle sine mora elicere internum actum, qui sit ex proprio religionis motivo? Adde, quod propositum efficax elicendi contritionis actum,

- (1) Lossada, *de anim.* disp. 9. cap. ult., num. 124.
- (2) Quiros, *Curs. philos.* disp. 87. sect. 5. num. 37.
- (3) Suarez, *de gratia*, lib. 11. cap. 11. num. 11.
- (4) S. August., *Confession.* lib. 8. cap. 9.

cum aderit periculum mortis, physice permanere potest instante jam periculo: tunc autem erit imperium efficax contritionis in eodem instanti efficiendæ. Opposita ratio instari potest in actu imperante cognitionem; nam similiter anima non aliter elicit actum fidei, nisi conando elicere. Sed, dum efficaciter vult credere, volitione hac formaliter conatur anima in efficientiam actus fidei. Ergo hic actus formaliter consistet in ea volitione. Quæ instantia clarius urget, si potentie non distinguantur ab anima».

«Præterea rationem illam facile solves, si distinguas conatum imperativum ab executivo: qui duo conatus facile distingui, ac discerni poterunt ex diversitate motivi, aut fortassis etiam ex diversitate objecti materialis vel modi tendendi; non enim repugnare videtur (quamvis regulariter non accidat), quod actus imperans et imperatus intrinsece respiciant idem motivum, v. g. si per actum puræ charitatis imperetur formalis dolor de peccato, qui dolor pro motivo respiciat intrinsece bonitatem Dei. Quod vero actus religionis, reflexe præcognitus, alliciat ad possessionem sui, et se ipso statim possideri valeat, probat quidem non esse necessarium imperium reflexum, posseque voluntatem immediate se determinare ad illum actum: at non probat, imperium esse inutile; tum quia proderit, ut bonitas illius actus ametur pro meritis, cum sit amabilis non solum exercite, sed reflexe; tum quia valere poterit, ut alterius motivi subsidio facilius vincatur tentatio retrahens ab actu religionis. Ubi notandum, quod, licet actus imperatus non respiciat intrinsece motivum imperantis, ut plerumque accidit, dicitur tamen elici propter illud, tamquam propter motivum mediatum et extrinsecum; sicut actio externa dicitur esse propter finem, ex quo imperatur a voluntate, quia nimirum, dum ab actu imperii causatur, eo mediante procedit a tali motivo. Semper tamen actus voluntatis intrinsece respicere debet motivum aliquod» (1).

Utrum imperium sit actus intellectus, an voluntatis.

73. Jam questio pene insolubilis est, utrum imperium sit actus voluntatis, an vero intellectus; et si intellectus, utrum

(1) Lössada, ib. num. 125, 126.

distinctus a triplici operatione, an vero revocandus ad aliquam ex tribus vulgaris operationibus mentis (1). Scotistæ cum suo duce et S. Bonaventura (2), Henrico Gandavensi, Durando et Majore (3), arbitrantur imperium esse actum voluntatis: quibus aperte favet S. Augustinus (4) et S. Anselmus (5). Thomistæ vero cum S. Thoma, Cajetano, Conrado, Bartholomæo Medina (6) et aliis (7), censent esse actum intellectus. Nostri Auctores divisi sunt: P. Suarez (8) et P. Lössada (9) cum multis aliis, præsertim recentioribus, ut ipse scribit, pugnant pro voluntate; at PP. Fonseca (10), Molina (11), Azor (12), Valentia (13), Vazquez (14), Salas (15), Quiros (16), et alii stant pro intellectu. Quæstio hæc magna ex parte videtur potius de nomine. Omnes enim facile, puto, concedent in imperio concurrere quædam, quæ rationis, quædam alia, quæ voluntatis sunt propria: imperii enim est denunciare, intimare, ordinare, præscribere, quid faciendum sit, itemque movere, determinare, ex dominio statuere, quorum priora rationis, posteriora voluntatis sunt (17). Tota ergo quæstio revocatur

(1) Cfr. *Psycholog.*, vol. 2.^{um}, num. 270, pag. 910.

(2) S. Bonavent. 3.^o dist. 17, art. 1, quest. 1.

(3) Vide apud Suarez (*de Logib.* lib. 1, cap. 5, num. 8), Vazquez (In 1.^{am} 2.^æ disp. 49, cap. 1) et Mastrium (*de anim.* disp. 7, quest. 7, art. 2, num. 156).

(4) *Confession.* lib. 8, cap. 9.

(5) *De concept.* Virg. cap. 4.

(6) In 1.^{am} 2.^æ quest. 17.

(7) Apud Salas, In 1.^{am} 2.^æ tract. 6, disp. 2, sect. 2.

(8) Suarez, In 1.^{am} 2.^æ, *de voluntat. et involunt.* disp. 9, sect. 3; et *de Legib.* lib. 1, cap. 5, num. 8.

(9) Lössada, *de anim.* disp. 7, cap. 5, num. 102.

(10) *Melaphys.* lib. 9, cap. 2, quest. 7, sect. 2.

(11) *Concord.* quest. 23, art. 1 et 2, disp. 2, *Hæc tamen sententia;* et in 1.^{am} part. quest. 23, art. 1, disp. 2.

(12) *Instit. Moral.* tom. 1, lib. 1, cap. 29, quest. 1.^a et 2.^a

(13) In 1.^{am} 2.^æ, disp. 2, quest. 12, punct. 1.

(14) In 1.^{am} 2.^æ, disp. 49, cap. 2 et 3, et in 1.^{am} part. disp. 87, cap. 3.

(15) In 1.^{am} 2.^æ, tract. 6, disp. 2, sect. 2.

(16) *Curs. philos.* disp. 66, sect. 3.

(17) In imperio, inquit S. Thomas, duo concurrunt: quorum unum est rationis, aliud voluntatis. Qui enim imperat aliquid, inclinatur ad faciendum, quod voluntatis est, ipsius enim est movere per modum agentis; et iterum ordinatur, cui imperat, ad exsequendum illud, quod

ad statuendum, quid horum duorum primo ac præcipue mereatur nomen imperii.

74. **Sententia imperium reponens in actu voluntatis** hisce præcipue innititur argumentis.

Argumentum 1.^{um} Illi potentiae convenit imperium, cui adscribitur dominium et potestas obligandi et compellendi ad actum ceteras potentias. Atqui dominium et potestas obligandi et compellendi ceteras potentias ad actum est penes solam voluntatem; ipsa enim ratione suae libertatis habet dominium suorum actuum, nec compelli per actum alterius potentiae, etiam intellectus, potest, cum tamen ipsa reliquas cogere queat, iisque dominari: nulla denique alia potentia potestatem obligandi habet nisi dependenter a voluntate, ut fatetur ipsemet S. Thomas (1). Ergo imperium est actus voluntatis (2).—**Respondent adversarii**, *negando Majorem* ex doctrina S. Thomae, quia imperium non est potestas obligandi vel compellendi quomodocumque, sed intimando, vel denuntiando. Ergo est quidem imperio vis obligandi ac movendi, eaque tota ex voluntate dimanat; sed præcipuum est ordinare alium ad aliquid faciendum intimando, vel denuntiando, id quod solius est rationis. *Imperare...* inquit Angelicus, *est quidem essentialiter actus rationis; imperans enim ordinat eum, cui imperat, ad aliquid agendum, intimando, vel denuntiando: sic autem ordinare per modum cujusdam intimationis est rationis. Sed ratio potest aliquid intimare vel denuntiare dupliciter: uno modo absolute; quæ quidem intimatio exprimitur per verbum indicativi modi, sicut si alicui alicui dicit: Hoc est tibi faciendum. Aliquando autem ratio intimat aliquid alicui, movendo ipsum ad hoc; et talis intimatio exprimitur per verbum imperativi modi, puta cum alicui dicitur: Fac hoc. Primum autem movens in viribus animæ ad exercitium actus est voluntas, ut supra dictum est (quæst. IX, art. 1). Cum ergo secundum movens non moveat nisi in virtute primi moventis, sequitur, quod hoc ipsum, quod ratio movet*

imperatur, et hoc ad rationem pertinet, cujus est ordinare. S. Thom. Quodlib. 9, art. 12.

(1) S. Thomas 1. 2. quæst. 17, art. 1.

(2) Vide Mastrium et Lossada, locis citatis.

imperando, sit ei ex virtute voluntatis. Unde relinquitur, quod imperare sit actus rationis, præsupposito actu voluntatis, in cuius virtute ratio movet per imperium ad exercitium actus (1).

Argumentum 2.^{um} Imperium ex vi nominis importat decretum, cui parere inferior tenetur. Atqui decretum est actus voluntatis. Ergo...—**Respondent** simili modo adversarii, decretum essentialiter involvere ordinationem, præscriptionem ac denuntiationem jam declaratam, ac proinde actum intellectus requirere.

Argumentum 3.^{um} Ejusdem potentiae videtur esse imperare subditis, ac petere ab æqualibus, et orare superiores. Sed petere et orare pertinet ad voluntatem; nam petere et orare interius est actus dulciæ, hyperdulciæ ac latriciæ, qui sunt actus virtutis, ad religionem spectantes, qui proinde voluntati adscribendi sunt.—**Respondent** adversarii cum S. Thomas (2), actus orationis esse intellectus, non vero voluntatis, quamvis spectent ad religionem. Id autem quo pacto fieri possit, alii aliter explicant. Cajetanus, Victoria et Sotus (3) volunt, religionem, licet sit in voluntate, elicere actus intellectus et aliarum virium, quando in illis non requiritur alia virtus, ut prompte et delectabiliter operetur. Hoc tamen aliis displicet, quia unam potentiam vel virtutem *elicere* aliquem actum est esse immediatum principium illius; at intelligi nequit, quo pacto una virtus vel potentia possit elicere vel esse principium immediatum actuum alterius virtutis aut potentiae. Unde alii malunt dicere, orationem non esse actum proprie elicitem, sed imperatum religionis ac latriciæ, ideoque posse procedere ab intellectu et virtute in eo inehærente. Aliis denique placet magis concedere orationem esse actum latriciæ, ac proinde elicitem a voluntate; sed negant idem dicendum esse de imperio propter magnam utriusque disparitatem. Nam in oratione, inquit, non est specialis difficultas, que non possit vinci tota a voluntate ac virtute latriciæ sine interventus intellectus vel habitus intellectualis; secus vero in imperio (4).

(1) S. Thom. 1. 2. quæst. 17, art. 1.

(2) S. Thom. 2. 2. quæst. 83, art. 1.

(3) Apud P. Salas, loc. cit. tract. 6, disp. 1, sect. 5, in respons. ad 2.^{um} arg.

(4) Vide hæc, si lubet, apud Salas, loc. cit.

Argumenta
sententiae,
imperium reponens in
actu voluntatis:
1.^{um},

responsio

2.^{um},

responsio

3.^{um},

responsio

4.^{um}, **Argumentum 4.^{um}** Vulgaris usus loquendi, idemque frequentior apud viros doctos, immo et apud ipsos adversarios, imperium tribuit voluntati. Quamvis enim rationi quoque soleat non raro imperium asseri, ut cum dicitur ratio imperare appetitui sensitivo, et hic illius obedire imperio, plerumque tamen imperium voluntati adscribitur: unde passim audies voluntatem cæterarum omnium potentiarum actus, immo et suos, imperare; divisio vero illa actu in imperantes et imperatos ad solos actus elicitos a voluntate, vel ex ejus motione ab aliis potentiis profectos, refertur ex communi acceptione. Quod videtur probare, in imperio præcipuas partes esse voluntatis, quamvis et intellectus ad illud conferat, dirigendo et intimando decretum voluntatis.—**Respondebunt** adversarii, communem hunc modum loquendi explicandum esse, non quasi imperium sit formaliter actus voluntatis, sed tantum præsuppositivè, quia ut actus rationis imperantes potestatem movendi obtineant, ex prævio voluntatis actu vim suam derivent, necesse est.

Argumenta
sententiæ,
imperium reponens in actu
rationis:
1.^{um},
responsio:

75. Sententiæ imperium formaliter in actu rationis reponentis.

Argumentum 1.^{um} Imperare est dicere; unde *dixit Deus: Fiat lux* (1). Atqui dicere est actus proprius intellectus.—**Respondent** adversarii *distinguendo*; nam dicere interdum idem valet, ac decernere, ut in laudato testimonio *Genesis*; sed tum dicere pertinet ad voluntatem, non ad intellectum.

2.^{um},
responsio:

Argumentum 2.^{um} Sapientia, quæ profecto ad intellectum pertinet, clamat in *Proverbiis*: *Per me reges regnant, et legum conditores justa decernunt; per me principes imperant et potentes decernunt justitiam* (2). Ergo actus intellectus dicendum est imperium.—**Respondent** adversarii, Sapientiam dici decernere, et imperare non elicitive, sed directive, quatenus voluntatem dirigit, et, qualiter sit imperandum, ostendit. Vel si omnino contendas ita interpretanda verba esse, ut Sapientia dicatur in eo loco elicitive decernere atque imperare, adhuc respondere poteris, voces has sumi posse in

(1) *Genes. cap. 1, vers. 3.*

(2) *Proverbi. cap. 8, vers. 15, 16.*

sensu minus proprio, quatenus idem sonent, ac dicere, seu tradere regulas bene operandi, quo sensu prudentia et ratio præcipere dicuntur etiam ab iis, qui proprium ac formale imperium soli voluntati adscribunt (1). Et per hoc etiam solutum manet argumentum peti solitum ex prudentia, quæ est virtus intellectualis, et nihilominus ejus proprium esse dicitur præcipere actus aliarum virtutum.

3.^{um}, **Argumentum 3.^{um}** Imperare est ordinare, regere, ac dirigere; hoc autem proprium est intellectus. Item imperare est denuntiare, vel intimare inferiori voluntatem superioris, nam imperium dirigitur ad aliquem rationis compotem, qui possit jussa percipere atque exsequi. Atqui intimatio est quædam notificatio, quæ profecto est actus intellectus. Ergo

responsio: **Respondent** adversarii, quantum spectat ad actum regendi, et dirigendi, eos quidem ad intellectum spectare, sed per imperium non ejusmodi actum præcipue ac formaliter designari; actum vero ordinandi bifariam intelligi posse, vel quatenus idem valeat, ac ex dominio statuere, seu præfigere rectum ordinem operandi, ac tum proprium esse voluntatis, vel quatenus idem significet, ac derigere, vel regulare, et tum ad intellectum pertinere. Cæterum vox *ordinare*, si sumatur in significatione unum ad aliud referendi, potest utrique potentiæ convenire, atque interdum voluntati tribuitur ab ipso S. Thoma (2). Ad illud vero quod adjugebatur, negant adversarii denuntiationem vel intimationem ad substantiam imperii pertinere; secus præco, mandatam principis denuntians, proprie imperaret: quare denuntiationem non esse nisi applicationem vel conditionem, ut imperium proxime obliget personam aliam. Immo vero si sermo sit de imperio, quod vocant *monasticum*, seu de illo, quod exercetur circa potentias imperantis proprias, nullam requiri rationis intimationem; nam, imperante voluntate, illico potentiæ aliæ obediunt per naturalem consensum potentiarum invicem ordinatarum ejusdem suppositi, prout jam alias explicatum est, et iterum dicitur in sequenti articulo (3).

(1) Vide Lössada, loc. cit. num. 106.

(2) Cfr. S. Thom. 1 p. quest. 107, art. 1. Vide Lössada, loc. cit. num. 106; et Mastrium, loc. cit. num. 160.

(3) Vide Lössada, loc. cit. num. 104; Mastr. loc. cit. num. 158, 160.